



I. 16r

II, 46.

-5-

PARENTALIA SIVE  
CHARISTIA

ILLVSTRIS-  
SIMIS PRINCIPI-  
BUS AC HEROIBVS D. IO-  
AN. FRIDERICO I. SACRIR OM.  
Imperij Electori, eiusq; Filio inclyto D. IO AN.  
VVLHELMO, SAXONIÆ Ducibus, Landgra-  
vijs Turingiæ, Marchionibus Misniæ &c.  
publicè solenniterq; habita, Ienæ  
ad V. Non. Martij, Anni  
M. D. XCII.

d

NICOLAO REVSNERO  
IV RECONSULTO, ILLVSTRISS.  
SAXONIÆ Ducum Consiliario, Collegij Iu-  
ridici Seniore, & Antecessore.

Accessit  
IVSTI LIPSII ORATIO DE IO.  
ANNE VVLHELMO SA-  
XONIÆ Duce &c.

F E N AE  
Typis Tobiae Steinmanni Anno  
M. D. XCII.


EVILZ ALIATUERAT  
JLLVSTRISSIMIS  
CELSISS. QVE PRINCIPIBVS  
D. FRIDERICO VVILHELMO  
ELECTOR. SAX. ADMIT.  
nistratori,  
&  
D. JOANNI FRATRI GER-  
MANO, SAXONIAE DVCIBVS, TV-  
ringiae Landgravijs, Misniae Mar-  
chionibus  
PIETATIS, IVSTITIAE, VIR-  
TVTIS ASSHRTORIBVS  
PATRITAE AVITAE QVE GLO-  
RIAE HAEREDIBVS  
OPT. MAX.

NICOLAVS REVSNERVS

D.

PUBLICI OFFICI  
PRIVATI MERITI  
MON.

D. D. D.



PARENTALIASIVE

CHARISTIA

ILLVSTRISS. PRINCIPI D. IOANNIFRIDERICO SA-

XONIAE DVCI ET ELECTORI, BI-  
usq; filio inclyto D. IOANNI VVILHELMO  
in Academia Salana publicè habita V. Non.

Martij, Anni M. D. XCI,



EDEVENTIMIHI, RECTOR

Magnifice, Comes Inlyte, Generosi Baro-  
nes, Patres Academicici, viri amplissimi, cla-  
rissimi, doctissimi, vosq; cæteri, qui adestis,  
Auditores omni virtute atq; doctrinâ orna-  
tissimi: redeunti inquam mihi quasi post  
liminio, ex morbi diuturni velut captivitate quadam, ad  
hanc exedram Academicam, ceu pietatis & Musarum sa-  
crarium: atq, adeo in hanc clarissimam lucem conspectus  
illius vestri, & confessus multò florentissimi iterum mihi  
iam prodeundi: cùm publicè aliquid, antequam ad ope-  
ras meas scholasticas aggrederer, certis de causis initio di-  
cendum arbitrarer, in hoc præsertim novæ materiae ad do-  
cendum mihi propositæ exordio: visum omnino fuit faci-  
endum, ut post gratias Deo publicè actas, & hæc veluti so-  
stra quædam ac hostimenta sanitatis restitutæ solenniter  
persoluta, argumentum dicendi eiusmodi pertractandum  
sumerem, quod loco huic & tempori quam maximè ac-  
commodatum, & vestris auribus non indignum aut ingra-  
tum fore confiderem. Quandoquidem ut omnibus alijs in  
rebus & negotijs vitæ humanæ plurimum momenti habet  
temporis occasio, & loci oportunitas. Ita omni in re, telle  
Isocrate, iniucundum esse solet, quod est intempestiuum.

A 2

PRIMVM

PRIMVM igitur tibi, Optime Deus, qui unus & solus es Deus, à quo omnia, per quem omnia, ad quem necesse est referri omnia; tibi inquam, Immortalis Deus, pro immortali isto tuo beneficio immortales ago habeoque gratias: quod ad imaginem tuam me creasti: per Filium redemisti: Spiritu sancto tuo ad vitam æternam regenerasti: quodque in societate humana sacrosancto tuo verbo sanctam tibi collegisti Ecclesiam: cuius me quoque civem esse voluisti: tum verò præcipue eo nomine gratias tibi debeo ingentes: quod ægritudine me non ita pridè oppressum, sancti numinis ope & gratia iterum recreasti: & quasi è fauicibus Orci eruptum, in lucem hanc revocasti longè suavissimam: meque, pro benigna voluntate tua Reipublica huic literariæ, fato semel destinatum, longius superstítasti. Fateor equidem, & libenter fateor, me ancipiti vexatum morbo, haud absque vitæ discrimine, æquissimo animo, quem & ipsum totum bonitati clementiæque tuæ debeo, exspectasse illum diem, quo tu, summe Imperator, hoc corpore, immò carcere solutum, & quasi è statione euocatum, in vitam collocares meliorem. Sed quoniam tamen aliter tibi visum fuit, Misericors & Benigne Deus: ut me diutius adhuc vitæ huius miserijs atque ærumnis supereresset velles: age Domine, rata sit voluntas tua: quæ sola bona, sola sancta, sola inculpata est: & ut in cœlo, ita in terra fieri omnino debet. Tu modò, sempiterne Deus, qui solus es vita & dierum longitudine nostra, tu inquam benigne Deus, benignam vitæ meæ curram suscipe: tu animi mei vim ad maiestatis & bonitatis tuæ contemplationem erige: tu è sepulcro vitalis huius mortis mentem excita: tu sapientiæ tuæ haustu liberaliter me recrea: ut inoffenso deinde cursu omne, quod superest, ævum traducere: omniaque accepta tibi, & Reipublica Christianæ salutaria, non tantum dicere, sed etiam facere: & tandem

tandem decurso huius vitæ curriculo ad metam per te mihi  
liceat pertingere salutis & beatitudinis sempiternæ.

Post votum istud ceu Charisterium Deo Opt. Max.  
salutis meæ auctori unico, pure casteq; ut decet, nuncupatum : nunc deinceps ad id, quod proposui, me conuerto :  
& animo conceptum meo argumentum dicendi (quod pa-  
ce A v d. vestrâ facere mihi liceat ) loco & temporis huic,  
quantum ego existimare possum, peraccommodatum, per-  
sequor. Planè enim mihi iam, vobiscum dum colloquor,  
revixisse videor : & iam nunc in officio hoc meo, atq; adeo  
in hoc vestro tanquam sinu conquiescens ; plenus bonæ  
spei, alacritatis plenus ; conspectu hoc vestro longè iucun-  
dissimo mirificè me recreari atq; confirmari ; & quasi de be-  
nevolentiâ gratiâq; vestrâ spiritum ac vitam ducere fentio.  
Quò certius spero & confido futurum : ut pro eximia ve-  
stra humanitate & bonitate non solum meum ad vos redi-  
tum gratulabundis animis excipere : verùm etiam auspicijs  
hisco nostris ( quæ Deus Opt. Max. numine suo approbare  
dignetur ) sponte ac liberè favere : meamque hanc oratio-  
nem, adhuc ex acri & difficiili morbo languentem, minusq;  
(ut ita dicam) robustam, boni æquiq; facere velitis. Pro  
quo officio vestro Av d. operam dabo sedulò ac diligenter,  
ut non solum providentiæ divinæ, quæ me hinc evolare co-  
gitantem in vestros complexus rejecerit, in obeundo isto  
munere, quantum in me est, summa voluntate & fide sem-  
per obsequar : sed longi etiam temporis usuram, quam vo-  
bis absentia mea eripuit, quantisper me vobiscum D e v s  
esse voluerit, maiore deinceps assiduitate & industria resar-  
ciam : omnibus deniq; vobis ea præstem studia & obse-  
quia, quæ ab amico & grato animo expectari possunt &  
debent.

Tempus igitur, atq; adeo diem ipsum, qui hodiernobis

A 3

divino



divino illuxit munere, animo mecum considerans; & cum  
eo locum, in quo sumus, comparans; satis amplum & lucu-  
lentum ad dicendum argumentum mihi comparatum esse  
video: in quo nemini deesse possit oratio. Etenim Fastos  
si inspicere volumus, hoc ipso die & in sequente crastino,  
pia sanctaq; reuocatur memoria summorum & maximorum  
heroum, IOANNIS FRIDERICI I. Electoris Patris, & I O-  
ANNIS VVILHELMI Filij, Saxonie Ducum, Landgravio-  
rum Turingiae, Marchionum Misniæ, Principum laudatissi-  
morum, & de Ecclesia totaq; Repub. Christiana optimè  
meritorum: quos & ætas, & anni, & spiritus antè defece-  
runt: quam patriæ caritas, religionis amor, subditorum sa-  
lus, vitæ consiliorumq; constantia. Quæ sanè laus multò  
maxima, in utroq; Principe par fuit propemodum, & æqua-  
lis: ut non sine divino numine idem utrisq; tempus mortis  
obtigerit: quos vna eademq; laus virtutis in vita perpetuò  
reddidit commendatos. Quanquam verò non ignorem, &  
fatear libenter, me arduam nimis & difficilem, longeq; vi-  
ribus meis imparem provinciam suscepisse: qui de tantis &  
tam præclaris heroibus, quorum laudi nulla sufficere potest  
oratio, tam humili & angusto sermonis genere, maxima  
præsertim tot lectissimorum hominum adstante frequentia,  
verba facere constituerim: ut vix ullo modo temeritatis aut  
arrogantiæ suspicionem subterfugere; quibusdam etiam in  
eo fortassis ineptè facere videri possim: quod vix dum lon-  
go tempore sopitum dolorem rursus quadantenus excita-  
re, & vulnus nondum bene consanatum refricare minimè  
verear: vt non tam loquendi, quam tacendi tempus meri-  
tò nosse & obseruare debeam: tamen in proposito meo  
confirmat me & corroborat, tum perspecta mihi satis haute-  
nus humanitas & benevolentia vestra: tum fides & pietas,  
optimis his & de hac schola optimè meritis Patronis debi-  
ta: in

ta: in quibus D e i immortalis beneficia non admirari so-  
lūm , verūm etiam grato animo colere, & laude digna cele-  
brare omnino decet viros bonos , & veræ religionis secta-  
tores : maximè autem eos, qui sub eorum tutela vivunt : &  
ab his maxima vitæ subsidia & ornamenta acceperunt , aut  
adhuc accipiunt quotidiè : ut si minus fortassis maioris ali-  
cuius studij vel honoris , at fidei suæ & gratiæ debitæ moni-  
menta ista exstare velint illustria ad omnem futuram poste-  
ritatem. Enimverò quoniam tanta est amplitudo & multi-  
tudo laudum ac virtutum , quæ in his Patriæ Patribus &  
Principibus tanquam in illustri loco positæ eminuerunt ; ut  
tam brevi & exiguo temporis spacio à me non dicam ex-  
ornari , sed percenseri rectè possint : veniam hanc & quasi  
gratiam à vobis A v d. postulo ; ut liceat mihi ex infinito  
isto laudum & virtutum maximarum cumulo apparente , u-  
nam aliquam præcipuam laudem & virtutem eligere , ac de-  
cerpere ; in qua commendanda potissimum mea perfetur o-  
ratio : exemplo eorum , qui ex ipaciosoſiſſimo aliquo nemo-  
re , ad operis sui uſum , iſignem aliquam trabem eximere  
ſolent : ut in re ſimiſi Poeta Theocritus , Ptolomæi  
Philadelphia virtutem & ſapientiam celebraturus , hoc fe-  
ſacere , non minùs ſcitet & prudenter , quam lepidè & venu-  
ſtè indicat. Neq; ergo de antiquissimâ illa & longè illustrif-  
fima Saxonicae domus profapia & nobilitate , quæ cum sum-  
mo illo & maximo Imperatore C A R O L O M A G N O de  
patriæ libertate multis annis dimicavit , ac poſtea eius ſe im-  
perio , fidem amplexa Christianam , ſponte vltroq; ſubie-  
cit : neq; etiam de alijs egregijs Principum Saxoniæ rebus  
gestis & factis , quæ à me pro dignitate laudari nequeunt ,  
hoc loco mihi dicendum eſſe arbitror. Tantum de singulari  
corum pietate erga Deum , & religione , cæteris omnibus ,  
quæ penè innumerabilia ſe offerunt , ſepotis quasi & in a-

liud

liud tempus reservatis, b̄reviter mihi in p̄äsentia differendum puto: quantum quidem & ingenij mei tenuitas, & temporis huiusc ratio patitur.

M A G N A verò A v d. virtus, eaq; maximâ digna laude est, pietas adversus Deum, & religio: quæ Reipub. basis, & fundamentum imperij solidissimum, atq; adeò omnium non modò virtutum, sed etiam bonorum fundus est (vt veteres loquebantur) optimus maximusq;. Quæ quidem tantò magis in viro Principe requiritur: quanto celsior in ipso eminet dignitas & maiestas: quæ in eo tanta est, ut sit quasi D e v s quidam terrestris inter homines. Quomodo & ipse D e v s passim in sacris literis Deos nominat reges ac principes, quasi Dei legatos quosdam & vicarios in mundo, auctoritate præditos divina, & divino instructos mune, re atq; officio. Cuius quidem pars præcipua in eo sita est, ut, secundum Psalmum, serviant Domino in timore ac tremore: ut filium adventantem exosculentur: ut portas ei suas altè lateq; attollant: neq; solùm per se ipsi Deum ac religionem colant: sed alios quoq; homines suo pietatem exemplo doceant: tum verò maximè ut religionem sanam atq; integrum subditis suis conservent: semina extinguant hæresium: errorum fibras elidant: impedimenta avertant singula, veræ doctrinæ cursum quoquomodo retardantia: denique ab omni labe immunem ad posteros propagent cultum divini numinis: & Ecclesiæ salutem saluti suæ semper anteponant: eamq; à vi hostium & potestate, quantum omnino fieri potest, fortiter defendant atq; propugnant. Quo ipso futurum est, ut Rempub. semper habituri sint felicem ac beatam. Neq; verò dubito, A v d. vos omnes, quotquot adestis, sponte ac ultrò mihi illud concessuros: proprium & quasi peculiare Saxonice domūs decus & ornamentum semper fuisse, & adhuc esse, ardens veræ religio-  
nis

nis studium : ut quēmadmodum de Scipionibus Romanis  
olim dictum legimus , fato eos quodam Carthagini ever-  
tendæ fuisse natos : multò verius hoc modo de Saxoniae  
Principibus perhiberi possit , fato eos quodam veræ since-  
ræq; religioni propagandæ propugnandæq; esse natos , ac  
imò potius diuinitus fuisse donatos . De quo si quis fortas-  
sis imperitus rerum æstimator hæsitare audeat : is , si mi-  
nùs veritate ipsâ , & rerum magistrâ experientiâ ; at saltem  
testimonio & quasi prodigo convictus divino , fidem huic  
dicto adhibeat necesse est : nisi cum ratione insanire poti-  
us , & Deo ac naturæ, more Gigantum, rebellare videri cu-  
piat . Memoriæ proditum est A V D. de Constantino Magno  
illo laudatissimo & Christianissimo Romanorum Imperato-  
re : ex Gallia ei ad pugnandum contra infestissimum Chri-  
stiani nominis hostem Maxentium accersito ; quum anceps  
animi esset & dubius, utrum sibi Romam eundum esset cum  
exercitu: in cœlo apparuisse supra Solem, die iam declinan-  
te, trophæum Crucis igneum, cum illa scriptura : E N T O R-  
TΩ N I K A. Eaꝝ; imago sub noctem in somnis denuo ei  
recursasse perhibetur : quo ipse postea in vexillis & galea  
Iusus symbolo , non Maxentium solum, sed omnes Christia-  
ni nominis hostes feliciter devicit atq; prostravit : & puram  
sinceramq; D e i doctrinam ab omni errorum contagione  
repurgatam, longè lateq; propagavit in orbe feré universo .  
Simile prodigium A V D. & revelati auxiliij divini signum  
manifestum, in ipso auspicio repurgatæ doctrinæ Euangeli-  
cæ , apparuit divinitus Illustrissimis Saxoniae Ducibus F R I-  
D E R I C O I I I. & I o a n n i Fratribus Germanis , ipso  
die natali Christi sub mediam noctem Vinariæ ex æde sacra  
exeuntibus ; unà cum I o a n n e F R I D E R I C O filio, de  
quo nobis sermo est, ac præterea frequenti comitatu auli-  
co : ubi supra arcem cœlo sereno fulgentem crucem con-

B

spexerunt

spexerunt satis magnam ; eamq; purpuream : eoq; ipso signo, ceu prodigo quodam divino, sui se officij admoneri iam tunc præfigerunt in tuenda ac propaganda religione : quin immò eo ceu prosperi sideris fulgore animati adhuc magis & confirmati ; quamquam trophæum istud crucis non absq; suo suæq; gentis & familiæ periculo futurum statim præaugurarentur ; multò etiam maiorem postea fidei Orthodoxæ Evangelicæ instaurandæ ac reformandæ curam susceperunt : quam etiam contra vim hostium palam defendere, & pro eâ vitæ, fortunæ, dignitatis suæ discrimen subire non recusarunt. Ac FRIDERICI quidem Tertij Electoris ( ut prisca illa & vetera omittam ) passim nota atq; explorata, multisq; rerum argumentis spectata est erga Deum pietas & religio : quam ipse primus multiplice errore Pontificum deformatam , & densissimis tenebris sepultam , ad claram optatamq; Christi lucem & splendorem voce Evangelij révocavit : auctore & duce MARTINO LUTHERO , nostri seculi Elia postremo , in Academia à se aliquot antè annis ad Albim instituta : simul huic tunc adiuncto fido adiutore & parastata PHILIPPO MELANTHONE Tubingâ evocato : quorum virorum consentiente doctrina & labore , operâq; fideli & assidua concurrente , cùm vera & antiqua de Deo Deiq; cultu & salute hominum doctrina ; tum etiam Philosophiæ artium & literarum omnium elegantia , cum præcipuarum linguarum studijs , immenso immensi Dei beneficio , in his primùm instaurata regionibus : & ex his in alias provincias dispersa : neq; solùm per Germaniam , verùm etiam Europam totam propagata sunt. Eam vero laudem & gloriam in amplectendâ fovendâq; veritate cœlesti , summâ fide & constantiâ præclare tutatus est IOANNES Friderici frater : qui cùm doctrinam cœlestem recte intelligeret , & constanti studio ac fide amplexaretur :

non

non afferendæ solùm illius ac propagandæ, verùm etiam  
tuendæ ac defendendæ curam habuit longè maximam:  
quam etiam præclaro exemplo (quod alij postea Christia-  
ni Principes æmulati sunt) in Augustanis Comitijs coram  
Imperatore C A R O L O V. Augusto, & F E R D I N A N D O  
Cæsare Romano, cæterisq; sacri Imperij ordinibus, & ex-  
teriorum Regum ac Principum Legatis quām plurimis, exi-  
mia veneratione, admirabiliq; constantia (à qua ipse po-  
stea Constantis cognomen promeruit) liberè ac palam pro-  
fessus est: adeò ut quamvis à sanguinarijs quibusdam Præ-  
sulibus atq; Ducibus (quos rectè cum Tragædia Φόνια λγ-  
θη nominare possumus) mirificè tentaretur atq; vexare-  
tur, qui cursum Evangelij omnibus modis impedire stude-  
rent: nullo tamen ipse præmio inductus, nullo periculo ter-  
ritus, de rectæ conscientiæ proposito ne unguem quidein  
transversum sibi declinandum putavit: sed in fide, quam  
semel confessus palamq; professus est, usq; ad extremum vi-  
tæ halitum perseveravit constantissime. En istud Trophæ-  
um Crucis in cœlo optimis & religiosissimis Principibus  
revelatum divinitus: manifesto de hostibus fidei Christia-  
næ victoriæ argumento ac documento. Quid mirum igit-  
tur, A V D I T O R E S , si ab his orti Principes, de quibus no-  
bis sermo hîc institutus est, in eodem genere laudis tantum  
excelluerunt: ut non solum æqualibus, verùm etiam ma-  
ioribus suis quodammodo gloriam & laudem religionis  
præriperent? Quod sane ut melius intelligatur: videamus  
primò, quibus partibus contineatur ipsa pietas ac religio.  
Sunt autem duæ partes: quarum una est cognitionis: alte-  
ra actionis: Illa rectus in Deum sensus est: hæc verò rectus  
ad Deum cultus. Et quidem nosse ante omnia Deum opor-  
tet: deinde rectè agnitus eundem piè sancte q; venerari ac  
colere. Cultus autem ille Dei partim in confessione nomi-

nis divini , partim in ritu ceremoniaq; sacrorum sine super-  
stitione praestanda consistit : Confessio deniq; ipsa non ore  
ac sermone tantum , veluti laudes Dei , & preces gratiasq;  
concipiendo sanctissimas : sed vel maximè vitae instituto ,  
omniq; ratione propagandæ , atq; adeo , si opus sit , propu-  
gnandæ veritatis cœlestis perficitur . Quæ omnia quanta in  
utroq; Principe fuerint , considerate mecum A V D I T O R E S : nam summa illa & omnino maxima in utroque hoc  
Principe ea fuisse animadvertis . Ecquænam igitur I O-  
A N N E S F R I D E R I C S Elector , Princeps optime &  
sanctissime , digna laudibus tuis oratio reperiri , aut unde ,  
aut ex cuius ingenij flumine vel dicendi copia rectè ea de-  
promi poterit ? Et enim quæ in Patre ac Patruo laudes ce-  
lebrantur singulares ; eæ in te uno simul cum utriusq; no-  
mine concurrunt universæ : in quibus tamen maximè emi-  
nit pietas ac religio : quæ tot ac tantis spectata casibus , &  
in te ipso quadam perfecta atq; absoluta ; non iam cæ-  
teris tecum communis , sed tua unius propria est , & quasi  
peculiaris : de qua nullo unquam ævo gratissimus hominum  
fermo conticefcet . Tu Princeps es ille sanctus , & heros ma-  
gnanimus , qui veræ religionis scientiâ , non dicam à natu-  
ra , sed à Deo ipso imbutus atq; edocetus , optimè de Deo in  
omni vita semper existimasti : quod pietatis veluti exordi-  
um quoddam ab Augustino nominatur : eundemq; D E V M  
pura , integra , incorrupta & mente & voce veneratus es per-  
petuò : tum vota pia pro salute publicâ & privatâ assidue  
concipiendo , & gratias Deo agendo : tum laudes nominis  
divini affatim prædicando : tum deniq; sanctum D E I ver-  
bum diligenter audiendo , meditando , profitendo : sancte  
præterea vivendo , legibusq; & mandatis divinis studiosè  
parendo : in quo & ipso tanquam optimo animo pulcerri-  
mus Dei cultus perspicitur . Tu inquam Princeps es ille sans

Etius



Etis, & Heros magnanimus : qui maximis in tenebris erroris atq; inscitiae , lumen prætulisti Evangelij clarissimum : qui præpotentis Dei gloriam longe lateq; propagasti : qui ab omni errorum labore repurgatam religionem , non modo subditis , verum etiam exteris gentibus ac populis cognoscendam exercendamq; communicasti liberaliter : quâ ipsi tantis animi erroribus , quibus multi alibi implicantur , exsolverentur , atq; ita perpetuo animorum liberarentur existio. Tu Princeps es ille sanctus , & heros magnanimus : qui scholæ huius nostræ fundamenta prima laudabiliter iecisti : quam officinam esse voluisti pietatis , & doctrinæ liberalis , & Ecclesiæ Rei q; publicæ Christianæ seminarium : quo religionis & literarum studia in hac provincia tua florarent : subditorum liberi recte informarentur : bonis artibus atq; linguis imbuerentur : ad omnes honestatis pietatisq; partes , atq; adeo ad omnem usum Reipub. educarentur : quo apud omnes sua Deo constaret gloria , & Ecclesiæ incolumitas perpetua. Tu Princeps es ille sanctus , & heros magnanimus : qui veram Dei doctrinam palam confessus : neq; voce solùm sed etiam scripto , maximo in discrimine vitæ constitutus , constanter intrepideq; professus : divina quadam & incredibili virtute , animiq; firmitudine ac perseverantiâ tutatus es : omnemq; adversariorum impetum , adeoq; totius orbis , in Christi Ecclesiam omnesq; pios conceptum odium , intrepido animo unus sustinuisti : & pietatis illustris exemplum omni posteritati reliquisti gravissimum. Tu Princeps es ille sanctus , & heros magnanimus : qui pro lege & grege , pro focis & aris fortiter dimicans ; honesto vulnere in os adversum malâ sinistrâ sauciatus , & in hostium potestatem redactus : maxima præterea dignitatis & fortunârū parte exutus atque spoliatus : per integrum quinquennium in victoris custodiâ captivus

hærēns : fortunam aduersam non alio animo , quām secundum  
dam, tolerasti : à quo nulla unquam vox humilis audita ,  
nulla deiectionis animi facta unquam fuisse creditur signifi-  
catio : quā fortunæ aliquam commutationem tuæ incusa-  
res. Tu Princeps es ille sanctus , & heros magnanimus : qui,  
cūm propter Ecclesiæ salutem atque dignitatem , vitam tu-  
am fortunasque cunctas periculis obiecisses ; captus & vi-  
ctus prælio ( sic nimirum Deo permittente , qui explorat  
suos & quasi purgat per hunc ignem tribulationis ) sed non  
etiam causæ bōnitate victus , quam invicto semper animo  
sustentasti ; à confessione veræ doctrinæ ( quæ esset ὁμόψη-  
Φοσ ἢ ὁμόσωνδος doctrinæ Propheticæ & Apostolicæ) nec  
minis, nec gratia, nec vi, nec contumelia , ac ne morte qui-  
dem præsente , ferro scilicet fulgente carnificis in conse-  
etu tuo posito , avocari unquam aut dimoveri potuisti :  
quin potius fidei certitudinem tuæ invictâ fortitudine ac  
perpetuâ constantiâ roborasti : & tanquam murus aheneus  
constitutus immotus , omni contempto periculo, non sub-  
ditos tantum , sed ipsos quoque hostes tuos, constantiam  
fidei & religionis veritatem exemplo tuo laudabiliter edo-  
cuisti. Tu denique Princeps es ille sanctus , & Heros ma-  
gnanimus : qui toti regno Antichristi fidei confessionem  
tuæ , vel , ut Apostolus loquitur , τὸν αἰγίδα πίσεως , tan-  
quam Gorgonis scutum, fortiter opposuisti: neque ullas po-  
tentum inimicitias , aut minas , aut pericula , aut vitæ capi-  
tisque dimicationes , pro honore Dei & dignitate Ecclesiæ  
defugiendas putasti : sed immò potius ultro ac cupidè ap-  
petijsti : totiesque ab his petitus, mirabiliter à Deo conser-  
vatus : verè cum Divo Apostolo bonum certamen certasti :  
fidem religiosè, ut decet, sancteque observando: potitus nunc  
denique coronâ laudis & gloriæ sempiternâ. En hoc tro-  
phæum illud Crucis & victoriæ , Princeps sanctissime , tibi  
olim

olim Patriq; tuo & Patruo in cœlo divinitus revelatum, &  
in teipso postea in acie capto, & in augusta facie tua indi-  
gnè sauciato, cùm alijs prodigijs divinis, tūm in primis Soz-  
lis lumine sanguineo per integros dies septem palam ab o-  
mnibus conspecto, manifesto doloris argumento, adhuc  
magis stabilitum: cuius sanè laudis gloria, & cum primis  
clarissimū istud lumen fidei tuæ omnibus triumphis antepo-  
nendum, omniū gentium literis atq; linguis in omne æuum  
celebrabitur, neq; ulla unquam vetustate obruetur, aut ob-  
livione obscurabitur. Memoriâ gratæ posteritatis tantæ res  
alentur: sermonibus crescent: literarum monumentis in-  
veterascent, & corroborabuntur perpetuò. Neque id sanè  
immeritò. Magna siquidem, & magnâ laude dignissima vir-  
tus est confessionis & fidei constantia: & præclara in omni  
vita æquabilitas, & idem semper vultus, eademque frons  
& oratio: Deo magis placere studens, quam hominibus:  
ac quidvis potius, etiam mortis præsens ferre periculum  
prompta atq; parata; quam veritatem doctrinæ in cuiusquā  
hominis gratiam abnegare, aut animo saltem fluctuare, &  
ab ea vel momentum discedere. Quod permultos pios &  
illustres homines fecisse omnibus temporibus, in confessio-  
ne: quos vitæ & morum sanctimoniam fidei confessione &  
veritatis constantia ornasse: & numinis divini gloriam,  
quam totâ vitâ anxiè quæsiverunt, morte & sanguine suo  
obsignasse constat. Quam in rem multa extant tum veteris,  
tum novi testamenti exempla illustria: quæ piorum homi-  
num constantiam, & invicti animi magnitudinem ac robur  
manifestò declarant. Quanto enim obsecrò animi robore  
fuisse existimatis A v D. Maccabæos illos, patriæ religionis  
& libertatis vindices acerrimos, pro qua ipsi nullum non si-  
bi periculum subeundum duxerunt? Quantâ obsecro fide  
& constantiâ mentis fuit Daniel Propheta: qui contra Da-

rijj



rij Regis edictum, apertis undiq; fenestris, palam Dei nomen invocavit: nullâ planè habitâ ratione periculi aut supplicij, ab adversarijs, in quorum tamen caput illud postea recidit, sibi iam pridem conflati. Omitto Prophetas alios: omitto Apostolos, eorumq; discipulos: omitto Ignatium, Laurentium, Babylam, Cyprianum, alios denique Christi martyres & confessores: qui non fortunarum modò iactura, verùm etiam corporis cruciatu, fidei Orthodoxæ suæ testimonium perhibuerunt. Vnicum illud addam de Gordio Martyre; extremo eum pro religione damnatum suppicio, rogitantibus amicis, ut vitæ conservandæ gratiâ à sententia sua desisteret; celso & intrepido animo respondisse: Non oportere linguam aliquid in contumeliam sui creatoris prolequi. Rectè hoc: nam & secundum Athanasium, qui in Christum credunt, centies mori malunt, quam Christum semel abnegare: propterea quod nihil inter omnia magna sit maius (ut ille ait) quam pro Domino suo mori.

Talem ergo & tam invictæ fidei confessorem ac martyrem te iure & merito tuo appellamus IOANNES FRANCIS DE RICE Princeps Optime & sanctissime: qui semel suscepito veritatis cœlestis patrocinio, in eius confessione & tutela fortiter constanterque perstitisti: neq; unquam animo in ea fluctuandum, ac ne momento quidem ab ea declinandum putasti: quin immò potius omni asseveratione confirmasti, malle te corpus morti obijcere, & stolam tuam in sanguine agni lavare: quam doctrinæ aliquam corruptelam amplecti, aut in eam quoquo modo consentire: aut conscientiam tuam concessione vel minima vulnerare: ut meritò de te dici possit, quod alicubi scribit Cyprianus: Non animum martyrio, sed martyrium animo defuisse. Quanquam si tot annorum vitæ ærumnas, tot labores, tot certamina, tot pericula, tot incommoda, tot mala, quæ pro fidei

fidei confessione perpessus es , rectè considerare voluerimus : quæ omnia profectò ipsâ quoque morte acerbiora & graviora tibi accidisse consentaneum est : quis non martyrij coronam te promeritum fuisse confitebitur ? Nam & , Augustino teste, inter sontes debitum reddere innocentia , martyrij genus est : & tot tantisq; ærumnis malisque non succumbere , maius decus est ipso martyrio . Salve ergo  
**I O A N N E S F R I D E R I C E** Princeps sanctissime : salve inquam , & iterum atq; iterum salve Electe Martyr I e s u  
**C H R I S T I** , Dux afflitorum , Princeps confessorum fidei , Comes veritatis , Signifer sanctæ Crucis , Antesignane patientiæ & constantiæ , Hæres vitæ æternæ , Possessor cœlestis patriæ , Victor mundi , ac Triumphator Pie , Felix , Inlyte . Plura de te hoc loco dicere nec ingenij tenuitas , nec temporis angustia , nec laudum tuarum maiestas , cuius fulgore iamdudum mentis meæ oculos quasi perstringi sentio , in præsentia patitur ; Aeternum igitur salve Princeps Optime & Maxime : salve inquam ætenum , & ætimum vale .

Conferte nunc , si placet , A v d . cum his , quæ dixi hactenus , ea , quæ de singulari pietate **I O A N N I S G V I - L I B L M I** , Ioannis Friderici F. optimi & sanctissimi Principis , cuius illustrissimæ memoriæ hodie parentamus , verè recteq; dici possunt & omnino debent . Ac principio quidem magnam & planè admirabilem in hoc Principe pietatem & religionem fuisse , nemini mirum videri debet : si cogitet saltem , è quo fonte ea promanarit , quàm puro , quàm nobili , quàm sancto , quàm repleto omnis virtutis & sanctimoniacæ laude immortali : ut perinde ac Telemacho apud Homerum patris Vlyssis virtus vnâ cum sanguine instillata fuisse creditur : ita in heroë quoq; ac Principe nostro pietatæ avitæq; pietatis bona paucis cum sanguine guttis affatim confluxisse , rectè fortassis dici queat . Quæ quidem bona

C

in eo.

in eo mirum in modum auxit postea & collocupletavit;  
tum naturae ipsius indoles divina; tum piæ sanctæque edu-  
cationis cura diligens & præclara: non solum domi in scho-  
la matris Sibyllæ, inclytæ Heroinæ, & Principis sanctæ:  
quam ipse vivum & domesticum omnium virtutum exem-  
plar habuit: verum etiam in publica disciplina Academica:  
in qua ipse vera solidaque Dei cognitione edocit,  
multa eaque præclara in prima statim adolescentia edidit  
tyrocinia, cum aliarum virtutum præstantissimarum, tum  
verò in primis scientiæ illius divinæ, quæ Theologia nun-  
cupatur: sicut hoc Orationes ipsius in publicum editæ a-  
bundè contestantur. Quo ipso tempore admodum cupidus  
descendi, non tantum sacras Bibliorum Pandectas assidue  
per volutavit: sed & doctorum interpretum, maximè verò  
Lutheri illius divini divina scripta degustavit: & ætate po-  
ste à auctiore multò etiam cognovit accuratius: quæ no-  
cturna diurnaque manu versasse; sicut & sacra Biblia plus  
quām octies legendo integrè confecisse dicitur, memor ni-  
mirum mandati illius divini in Deuteronomio: quo præci-  
pitur à Deo Regibus, ut Deuteronomium descriptum ha-  
beant; legantq; omnibus diebus vitæ suæ: quò discant ti-  
mere Dominum Deum suum: omniaq; legis divinæ verba  
& statuta custodiant. Ex quo factum est, ut non modò veri-  
tatem cœlestis doctrinæ rectè intelligeret, & fundamenta  
eius probè perfecteque cognita haberet: verum etiam er-  
rores aptè eruditeque refutare & refellere sciret: quam ipse  
lucem doctrinæ & fidei πληροφορίαν omnibus huius mundi  
opibus & voluptatibus longè anteposuit. Solet plerunque  
adolescentum animos, præsertim eorum, quibus fortuna  
illustrior per subdolas blanditias insidiatur adhuc magis, à  
pietatis & scientiæ veræ tramite quasi procella quædam  
repentis ab ripere voluptas & libido: quæ ceu blandissima  
domina

dominā, sæpius Principū animos ita implicatos irreti-  
tosq; tenet, ut vix ullo modo eos interdum respirare per-  
mittat. Enim verò heros ille noster, quod maxime admirati-  
one est dignum, iam adhuc adolescens, in isto flexu ætatis  
magno animo voluptates omnes respuens: omnem vitæ  
suæ cursum in exercitijs pietatis, atque animi contentione  
sibi conficiendum, nec quicquam in rebus humanis præ  
divina scientia expetendum putavit: scientiam porrò ipsam  
non tam ore ac sermone profitendam, quam vitæ instituto  
ac ratione exprimendam judicavit. Ac proinde optimus  
Princeps, quantumvis rebus omnibus, quas nobis aut na-  
tura tribuit, aut fortuna largitur, circumfluens: in uno ta-  
men Deo semper posuit omnia: & exiguis vitæ huius mor-  
talis commodis, immortalem immortalis Dei gloriam lon-  
gè anteposuit: neque aliud quicquam tanta cura, nisi cul-  
tum numinis divini, veræque religionis propagationem,  
quæsivit. Quæ cùm omni alio tempore, tùm verò misero il-  
lo fatali q; bello Germanico eminuit maximè: quo passim  
in Imperio Romano de sacrī & profanis acriter fuit dimi-  
catum. Nam illo quidem tempore capto in acie patre I O-  
ANNE FRIDERICo Electore, & in hostium redacto pote-  
statem, omni denique dignitate & possessione indignè spos-  
liato: minimè ille veritus est C A R O L O V. Augusto vi-  
ctori in conspectum prodire: & pro salute vitâque parentis  
unà cum inclyta matre SIBYLLA in castris deprecari: à quo  
tunc ipse satis acceptus clementer, mirificeq; tentatus; à  
religione Orthodoxa nec promissis cuiusquam abduci, nec  
minis deterrei ullo modo potuit. Qua re admirabilem  
ipse de se hominum exspectationem spemque præclaram  
concitavit: & ab omnibus iam tunc suspici, diligi, colli  
cœpit: in eoq; genere laudis paucorum annorum spacio  
tantum profecit: ut non modò eximiam apud reliquos

Germaniæ Principes auctoritatem consequeretur : qui omnes eum tanquam columen pietatis, & Christianæ Reipub. clarissimum lumen ac decus venerarentur : verum etiam apud exterorū reges ac Principes magnam sibi conciliaret dignitatē atque admirationem. Quanto enim studio & favore Principem nostrum prosecutus fuerit inclytus rex Gallorum HENRICVS : nemini vestrum ex publica fama ignotum esse arbitror : cuius ipse adhuc adolescentis eximiam animi fortitudinem & prudentiam consilij, non modo summoperè admiratus, sed etiam egregiè postea remuneratus est. Ipsa quoque Gallia periculosis temporibus in eo non solum fortē bellatorem, sed etiam pacificatorem aliquoties experta est utilem atq; salutarem. Sed ad rem. Mortuo parente I O A N N E F R I D E R I C O I . Electore, unā cum Inclytis fratribus I O A N N E F R I D E R I C O II . & I O A N N E F R I D E R I C O III . (quos honoris & amplitudinis causa nomino) constitutis hinc inde Ecclesijs, & idoneis Concionatoribus passim instructis : non minore animi constantia & firmitudine earum concordiam fidemque tutatus est. Academiam Salanam ex fundamentis scholæ paternæ, seu officinam quandam virtutis, doctrinæ, religionis, pio & laudabili studio instituit : ordinatis Professoribus viris pijs & doctis : statutis & legibus bonis constitutis : necessarijs passim destinatis redditibus : impetratis tandem à FERDINANDO Cæfare immunitatibus ac privilegijs : quò nimis homines in ea recte informati ad veram Dei agnitio- nem cultumq; assuefierent : & veritate hoc modo religio- nis restituta, eruditam & consentaneam omnium honestarum artium & disciplinarum institutionem possiderent. Quo ipso tantam gloriam adeptus est Princeps optimus & sanctissimus : ut nulla sicut reliquis eius laudibus bellicis vel togatis finem aut oblivionem allatura sit ætas. Magna bellicæ

bellicæ laudis amplitudo, magna dignitas : Summa auctoritas est in ijs , qui militari gloria antecellunt : quòd omnia quæ sunt in imperio , ab his defendi firmarique putantur : summa etiam utilitas : quippe quorum consilio & periculo cùm Reipub. tūm etiam nostris rebus quietè & tranquillè perfrii possumus. At enimvero ( dicendum est enim quod sentio ) militari disciplinæ præstat aut certè par est scholarum illa & literarum disciplina. Illa fortassis semel prodest : hæc semper commodat civitati : hæc fructus profert longè suaviores & salubriores religionis ac doctrinæ : hæc viros quotidie producit Reipub. administrandæ idoneos : hæc multos præclaros duces & Imperatores instruit : hæc Imperatoriæ virtuti maiorem dignitatem , laudemque conciliat : deniq; ex hac ipfa ad omnis conditionis homines utilitas immensa , atq; adeo infinita redit commoditas : omnes bellicæ res, omnes urbanæ, huius opem implorant, huius operam requirant, huius subsidium deprecantur. Sola igitur hæc optimi & sanctissimi Principis pietas & liberalitas, quamvis cætera omnia laudis monumenta consumat vetustas , magis & magis florescit quotidie : eaq; seculis canescet innumerabilibus. Neque verò hac laude contentus fuit Princeps inclytus : sed & gliscientibus subinde in religione erroribus , & in quibusdam fidei articulis doctorum opinionibus distractis : ne scilicet fidei Christianæ veritas & certitudo paulatim vel amitteretur prorsus, vel tenebris falsum involveretur : exemplo Constantini & Theodosij Magni , aliorumq; piorum Imperatorum ac Principum , Synodos & conventus Theologorum Alteburgi & Vinariæ habuit: quòd fide & diligentia ipsorum causa cognita atque explorata , omni errorum contagioni occurretur : & inter ipsos doctores conservaretur pax & concordia Christiana : de quo sane quia acta extant publicis literarum monumen-

tis prodita, plura me hōc locō dicere non est necesse. Fuit ergo aula incliti herois & Principis nostri reverā nihil aliud, nisi asceterium quoddam religionis, & religiosorum hominum auditorium: cui non parum opis & subsidij attulit Estheris illius nostrae virtus incredibilis, & consentiens cum Principe coniuge inclito in omnibus fidei articulis pietas ac religio. Nimirum Esther hæc est **S V S A N N A** **D O R O T H E A** illa Palatina, Princeps lectissima, Principis optimi & sanctissimi coniux optima & sanctissima: firmamentum familiæ, ornamentum patriæ, decus Ecclesiæ, Spiritus Sancti organon salutare: & omnino (ut ille ait) Fœmina digna illis, quas aurea condidit ætas: plane pio & benigno animi affectu erga ministerium sacrum, eiusq; doctores & confessores, ut & pauperes alios prædita: æmula in eo Philes Antipatri filiæ: æmula item Placidiæ Theodosij uxoris, aut etiam Pulcheriæ sororis eiusdem: de quibus est apud Sozomenum & Theodorenum. Cæterum hæc, quæ diximus, **A V D.** omnia saltem de pietatis cura, qua domi suas auxit Ecclesiæ, à quopiam intelligi fortassis poterunt: deinceps igitur qua animi affectione ille fuerit in verbo divino apud exterros propagando amplificandoque, paucis quoque attingamus. Si qua Ecclesiæ tempora inciderent iniquiora aut difficiliora: sanè Princeps hic noster hospes piorum & propugnator perpetuus extitit: summâ fide & benevolentia prosecutus est illustris quosdam fortunæ homines: qui ob confessionem veritatis expulsi, portum hic atque perfugium invenerunt: quibus ipse periculosisimis eorum temporibus consilio auxilioque suo præstò fuit: eosque contra vim hostium atq; iniuriam fortiter protexit. Multos religionis causâ exules & homines doctos excepit hospitio: rebusq; necessarijs benignè ac gratuitò adiuvit: & favore & liberalitate singulari complexus est: captos & durissima

durissima servitute oppressos Christianos , quantum in se  
fuit , ope ac subsidio servavit : excitavit afflictos : prostra-  
tos erexit : periculis oppressos liberavit : pro quorum ipse  
salute vehementer sollicitus , & in communibus miserijs  
præcipuo quodam dolore angi visus est perpetuò . Nihil e-  
um tantopere conturbavit , quām publicæ calamitatis dos-  
lor , & afflictæ Ecclesiæ salus : cuius ruinam & *πανολεθρίαν*  
precibus muri instar D e o oppositis , omni mente omniq;  
animo avertere annixus est . Nihil tam graviter & acerbè  
tulit , quām horribilem istam piorum lanienam , & imma-  
nem sanguinis Christiani profusionem : ipsis iam Christiani  
nominis socijs cum Turcis ceu Christi hostibus acerrimis  
communem : quorum crudelitas & hostilis odij immanitas  
barbara & planè potius efferata , nullo unquam sanguine  
satiari aut expleri posset . Qua in re quid ab eo non solum in  
Germania , sed etiam Gallia præstitum sit , suprà à me iam  
antea expositum est : de quo plura me dicere hoc loco tem-  
poris angustia non patitur . Quòd si etiam ex me quispiam  
fortassis quærat , quomodo cum reliquo imperio ac pote-  
state vixerit optimus Princeps : uno aut altero verbo expe-  
diam : & dicam illud ex sententia M. Tullij Ciceronis : Pie-  
tatem adversus D e v m fundamentum esse omnium virtu-  
tum : cui coniuncta sit iustitia , reliquæq; virtutes , fortitu-  
do , fides , modestia , liberalitas , magnificentia : quæ omnes  
sunt pietatis affeclæ quædam , comitesq; perpetuæ . Neque  
ergò in Principe nostro fuit species duntaxat quædam fictæ  
simulationis : in qua sicut reliquæ virtutes , ita pietas inesse  
non potest : sed planè fulsit in eo egregia quædam pietas &  
sanctimonia , eaque pulcherrima plurimarum virtutum co-  
rona stipata . Quanta obsecro erat in hoc Principe consi-  
liorum prudentia & celeritas : quanta iudicij gravitas &  
constantia : quanta animi altitudo atq; magnitudo : quanta

im



in moderandis cupiditatibus; regendisque animi motibus  
continentia: in familiaritate humanitas: in audiendo faci-  
litas: lenitas in decernendo: clementia in ignoscendo: in  
satisfaciendo ac disputando diligentia: in iudicando iustis-  
tia: in animadvertendo æquitas: denique patientia in in-  
juria: tolerantia in ærumna: moderatio in afflictione. Sed  
hæc quidem omnia omittamus hoc tempore, & alia uni-  
versa, quæ de Principe hoc splendide & cum vera laude  
commemorari possent: tantum ea, quæ eximiam illius  
pietatem declarant, paucis absolvamus. Quemadmodum  
ergo tota vita optimi & sanctissimi Principis nostri nihil fu-  
it aliud, quam perpetua pietatis officina, & schola quæ-  
dam ac palæstra virtutis: ita mors quoq; ab ipso piè san-  
cteò; obita, vitæ piè sancteò; hic actæ consentanea, simi-  
liter locuples esse testis poterit pietatis erga Deum admi-  
randæ: quam ipse non solum toto morbi tempore, sed e-  
tiam in extremo vitæ articulo manifestè declaravit. Nam  
postquam vim augescentis morbi animadverteret, & mor-  
bis quasi appropinquantis periculum præsentiret: totum  
sese ad ardentiorem pietatis affectum spontè composuit:  
& cùm alia, quæ post mortem fieri vellet, mature satis or-  
dinavit: tūm verò scholarum & Ecclesiarum curam perpe-  
tuam illustribus commendavit hæredibus: præclara simul  
edita fidei confessione: nulla præterea re omissa, quæ sibi  
ad viaticum in coelestem patriam commoda videretur, atq;  
necessaria. Cumq; iam cæteris ex partibus oppressa mens  
esset: extremum sensum ad memoriam Ecclesiæ reser-  
vit: multa de D e o rebusq; divinis loquendo: & crebrò  
se suamq; salutem commendando æterno Deo: interruptis  
atque morientibus vocibus: crebrò suos, sæpe patriam,  
sæpissime Ecclesiam nominando: quam suo quidem spo-  
liari præsidio doleret: nihilo tamen seciùs lætum se terris  
excedere

excedere profiteretur: quod spē fidei in filium Dei sustentā-  
retur optima. Quin imò iucundissimam se mortem obire as-  
verans: vitæq; cœlestis gaudia animo præsentiscens: & in  
tantis familiaritatibus cœlestium spirituum, & beatarum a-  
nimarum se iamdudum versari, & cœlestibus frui commo-  
ditatibus sibi plane persuadens: pauloq; pōst Christo agens  
gratias: Christum perpetuō invocans: sine omni deformi-  
tate atque perturbatione, ac penē sine sensu mortis subito  
exspiravit: & in certa atq; indubitata spe beatitatis æternæ  
in Christo piè sancte q; obdormivit. O fortunatam mortem;  
o beatum vitæ exitum; o somni requiem salutarem; Verè,  
verè inquam, non moritur, qui tam piè sancte q; moritur:  
siquidem vitæ talis exitus, aditus est vitæ melioris: vereq;  
preciosa in conspectu Domini, mors sanctorum: quorum  
civitas in cœlo est: quò cùm venerimus, tunc deniq; vivemus.  
Non es mortuus I O A N N E S G V I L I E L M E  
Princeps sanctissime: sed ex morte in vitam translatus: non  
inquam mortuus es, Princeps optime: vivit optima & san-  
ctissima anima tua: vivit pietas, vivit religio, vivit virtus,  
vivit rerum gestarum gloria: quæ nec oblivione eorum qui  
sunt, nec reticentia posterorum unquam sepelietur. Actum  
præclarè tecum Princeps fortissime, dum vixisti: nunc eti-  
am sanctissime Princeps: præclarè inquam tecum actum.  
Te Academia hæc alumna tua & filia, publica hac voce pro  
virili honorat: & ad memoriam tui honorificam ingemi-  
scit: atq, adeò desiderium, ut decet, ostendit tui maximum:  
nunquam illa quidem, dum stabit, meritorum tuorum de-  
positura memoriam: quæ omnium & singulorum pia lau-  
de & prædicatione celebrabuntur perpetuō. Atq; utinam  
maiora præstare posset: quandoquidem à te accepit longè  
maxima. Tu summo hanc favore & studio complexus es:  
tu rationes illius omnibus modis iuvisti atq; amplificasti:

D

tu be-

tu beneficijs eam affecisti immortalibus. Ea igitur tibi ab  
hac Academia nostra , & nobis omnibus gratia , quæ sola  
potest , refertur : ut tua apud nos literarum monumentis af-  
fiduè renovetur virtus , & pro brevi vitâ memoria vitæ red-  
datur sempiterna : qui iam pro mortali illa conditione vitæ  
immortalitatem es consecutus. Animadverto A v d. optimi  
& sanctissimi Principis obitûs mentione à me facta animos  
vestros vehementer perturbari , & communî quodam luctu  
ac desiderio affici : agnosco A v d. agnosco inquam latentes  
mentis lacrymas : agnosco gemitus & suspiria : agnosco vo-  
ta & desideria, plena officij, plena observantiæ, plena pietat-  
is : neq; agnosco solùm, sed libenter etiam ignosco. Amisso  
enim Principe IOANNE GUILIELMO ; & amisso ante hunc  
altero illo , de quo diximus , IOANNE FRIDERICO Patre  
sanctissimæ memoriæ: amisit profectò provincia hæc nostra,  
adeoq; tota Respub. Christiana lumen suum atq; columnen u-  
nicum. Quæ quidem iactura tantò gravior est , quanto ma-  
ior est raritas & penuria piorum principum : ut non inscitè  
ille dixerit, Principum bonorum omnium vultus in uno an-  
nulo sculpî posse. Enimverò communem hunc doloris ac  
desiderij nostri sensum , cuius aculeos in vestris animis me  
reliquisse video, allevare nonnihil & mitigare debet illud :  
quod in demortui Patris & Avi locum filios hæredes & suc-  
cessores tales Deus nobis substituit: quib⁹ meliores & præ-  
stantiores ne votis quidem conceptis optare poteramus. Te  
nimirum FRIDERICE GUILIELME , te IOANNES , vos am-  
bos inquam Principes illustrissimos , ex his terris discedens  
Pater, ceu lampada geminam, patriæ reliquit : vivam effigie  
em ingenij, virtutis , doctrinæ , pietatis , fidei , constantiæ :  
vos, vos inquam Patres Patriæ , pastores populi , nutricios  
Ecclesiæ, Patronos Academiæ, literarum fautores, literato-  
rum promotores, Reipub. totius rectores, Evergetas, serva-  
tores

tores pro se ipse substituit : quorum benignitate & munificientia (quod Deo immortali acceptum ferendum est maxime) viget iustitia; viget pietas; viget religio; vigent liberalium artium studia; deniq; civitates & regiones vigent universæ: quo certè nullum nobis à Deo beneficium maius aut præstantius tribui potest.

Quod reliquum est igitur Avd. (ne longius faciamus) pro munere isto divino laudes toto pectore concipiamus divinas : Deoq; immortali immortales persolvamus gratias : quod tam pios & sanctos magistratus hactenus nobis largitus est, & adhuc largitur quotidie : quibus cordi est salus Ecclesiæ, & misera hominum conditio. Oremus simul & comprecessemur eundem Deum immortalem: ut in tot & tantis Reip. fluctibus atq; procellis , pios & salutares Reipub. moderatores subinde nobis largiatur, & in decedentium locum sufficiat perpetuò: ac hos præsertim Principes nostros, quos modò largitus est, benignè nobis tueatur : in via sanctæ veritatis dirigat : in fidei & religionis Orthodoxæ confessione confirmet : ab omni doctrinæ labe & calamitate immunes conservet : mentesq; eorum & actiones omnes Spiritu sancto suo gubernet : ut veros semper Davides, Ezechias, Iosias, Constantinos, Theodosios, & similes horum, de quibus diximus, heroum Principes nobis habere liceat: sub quorum imperio vigeat pietas & religio : bonitas & veritas dominetur : floreat pax & æquitas : fides germinet è terra : è cœlo prospiciat iustitia : salus denique & gloria nobiscum his in locis habitet sempiterna.

D I X I.

D 2

S T V

STUDIOSIS P I E-  
TATIS ET LITERARVM,  
CAETERISQUE ACADEMIAE

LENNENSI SCIVIBVS

REVSNERVS V. I. D.

S. D.

**P**ERENDINVM DIEM,  
ET ALTERVM HVIC INSEQUENTEM, qui est VI. & V. Non. Martij, meritò Academia nostra (ut cum Aenea apud Maronem loquar) semper acerbum, semper honoratum habere debet: quos dies fatales atq; emortuales fuisse ea recordatur summis illis & maximis Principibus, IOANNI FRIDERICO ELECTORI Patri, & IOAN. GUILIELMO Filio, Saxonie Ducibus, Patribus Patriæ, Ecclesiæ Evergentis, Patronis Academiæ, Reipublicæ totius Christianæ luminibus ac columninibus: Quorum sanè egregia in Deum pietas ac religio, vitaque sanctitas & innocentia, & singularis animi prudentia, omniisque in re moderatio ac constantia eximia, & fides erga Rempublicam spectata, omnium seculorum vivet memoria: neque de ea sermo hominum gratissimus ullo unquam ævo conticescet. Quare cum multum adeoq; omne & totum hoc, quod habet, acceptum debere intelligam Academiam hanc nostram Principum illorum optimorum & sanctissimorum liberalitati ac sapientiæ: constitui equidem singulari quodam studio venerationis, & gratae memoriam erga illustrissimam Saxonie domum declarandæ causa, oratione his qualicunque mea parentare, & hæc quasi pietatis debitæ iusta persolvere. Quod fieri, DEO Opt. Max. annuente, ad diem MARTIS proximum, qui est VI. Nonar. Martij, hora ante Meridiem OCTAVAM. Eam verò otationem simul esse cupio non modò Charisterium & veluti hostimentum sanitatis divinitus restitutæ: verum etiam præfatio-

præfationem & quasi prolusiuñculam futuræ operæ meæ scholæ  
sticæ : quam publicè suscipiam , peracto prius Curiali Iudicio ,  
in explicando aureolo illo iuris tractatu D E A C C E S S I O -  
N I B V S C O N T R A C T V V M , ex Tit. Pand. & Cod. De  
usuris & fructibus : si modò illud D E O immortali , in cuius manu  
vita & salus est mortalium , visum ita fuerit . Spero autem vel  
planè potius confido , studiosos literatum & pietatis , cæteros-  
que Academiæ nostræ cives , præfato tempore , sponte & ultrò  
officium ac studium suum in me audiendo præstituros : eoq[ue]  
ipso si minus fortassis obsequendi mihi aut gratificandi voluntä-  
tem ; at opinionis suæ & existimationis honestæ de his tantis &  
tam bene meritis Principibus , quorum inclito honori opera  
hæc mea potissimum inservit , iudicium probaturos . Quod  
quidem eō studiosius ut faciatis , maiorem in mo-  
dum omnes vos rogatos volo . P. P. I E N A E ,  
Prid. K L. Martias , anno Pub. Sal.

C I C . I C . I X C .



D 3 ORA

O R A T I O  
**I N F V N E R E I L L V S T R I S-**  
**S I M I P R I N C I P I S D. I O A N N I S**  
G V I L I E L M I D V C I S S A X O N I A E,  
Landgravij Thuringiæ, Marchionis Misniæ,  
habita Ienæ, a. d. XII. Kal.  
April. 1573.  
*d*  
**I V S T O L I P S I O I S C A N I O.**



I Q V I S V E S T R V M E S T A V-  
ditores, qui ad hoc munus dicendi, quod  
illusterrimi Principis supremo honori debe-  
tur, parum aptum & idoneum me arbitre-  
tur: is adscribat ad suum iudicium, non a-  
liorum modò, sed etiam meam ipsius sen-  
tentiam. Nam & in dicendo quàm parum vel usu, vel inge-  
nio possim, ipse mihi sum testis: & quibus tanquam subsi-  
dijs iuvare naturam soleo studio & industria, ea ipsa in hac  
causa sic me deficiunt: ut nesciam, an à diligentia imparatior  
ad dicendum accesserim, an à natura. Quod primo auditu  
mirum vobis videri non miror. Nam vel pro Principe la-  
borem ullum defugere, impietatis videatur: vel imparatum  
huc accedere, & iudicia vestra contemnere, insaniæ. Quid  
ergo est? Dicam non minus verè, quàm breviter. Quod ijs  
accidere solet, qui de cœlo tanguntur, ut perculsæ vires o-  
mnes obstupescant; itidem mihi accidit, quem inopinan-  
tem tristissimus ille nuncius, tanquam fulminis casus, sic  
affixit, ut non solùm meditandi omnem mihi facultatem  
eripuerit: sed penè etiam loquendi. Ita ad accurate dicen-  
dum voluntas mihi non defuit, superfuit potius: faculta-  
tem

tem doloris vis detraxit, qui frangere & debilitare exercitatissimos animos potest. Quanquam video hīc mihi tacitam vestram cogitationem occurrere. Tacuisse enim (inquiet aliquis) non suscepisses hoc munus. Quod fecissem profectō, Auditores, & in tanto omnium luctu, vultu potius mōrorē meum, quām verbis infantiam declarassem: nisi dicendi quædā necessitas imposita mihi fuisset ab illo ipso Principe mortuo, cuius beneficia in me & hanc fortunam meam cūm recordarer; idem mihi penē accidebat, quod Ennius narrat de Homero: ut viderer mihi præsentem eum & exprobrantem audire, cur verborum honorem illi diuitius deberem, qui rerum omnem beneficentiam in me ornando exprompsisset. Cui caussæ soli fateor succubui, & malui committere, ut à quibusdam indisertus audirem, quām à multis ingratus. Quanquam intelligo, quām difficulti & scopolosa in causa versetur oratio, quam de Principis nostri laudibus institui: de quibus quid est quod hominis cuiusquam eloquentia adferre possit tantum, ut non eius oratio, tacitā opinione vestrā, vel malevolentia vel imbecillitatis condemnetur: quorum alterum facile præstabō; alterum ut caveām, non est mei ingenij. Vestri auxiliū est, Auditores, à quibus hanc quasi gratiam peto: ut patiamini idem me facere, quod Imperatores pro re nata in bello faciunt: qui cūm angustijs locorum inclusi, ad pugnam educere universum exercitum non possunt, optimos & lectissimos milites in primam aciem subducunt, cæteris remotis: itidem ut mihi liceat hoc brevissimi temporis curriculo, tanquam angustijs circumscripto, ex infinito laudum numero, capita modò rerum, & fastigia delibare breviter atque decerpere. Quod dum facio, oro obtestorq; vos per illum ipsum principem, de quo dicimus: ut orationis meæ cœrsum aurā lenitatis & humanitatis vestræ sublevetis: ut quantum

quantum virium in progressu orationis dolor mihi detrahet, tantum animi vestra in audiendo me attentio subministret. Quod si iustus honos unquam habitus est Principi defuncto : in nullo potest hominum memoriam iustior, quam in hoc reperietur ; cuius splendorem si a parentibus & generis dignitate spectamus, proh Deum immortalem, quae familia celebrior, aut illustrior domo Saxonica in Europa fuit ? quae iam inde a sexcentis amplius annis Romano imperio partim ipsa praefuit, partim qui praesent elegit : e qua tanquam ex equo Troiano tot delecti Heroes prodierunt, qui & armis dignitatem imperij, & virtute nomen sustinuerunt. Quid ego Timonem proprium & primum huius familie auctorem, regia stirpe natum, praedicem ? Quid Conradi ? Quid FRIDERICUM bellicosum ? qui non solum eorum hominum qui nunc sunt, sed totius antiquitatis gloriam superarunt. Quid vel avum huius Iohannem Electorem, vel patrum magnum FRIDERICUM commemorem, divina quadam & incredibili virtute Principes ? qui lucem Evangelij primi amplexi sunt, primi contra vim ausi defendere. Quid Iohannem FRIDERICUM huius Principis patrem? cuius singulas actiones si cum aliorum omnium Principum rebus gestis comparem ; istarum splendore sic obruentur, ut illi iuvasse Rempub. hic servasse; illi defendisse pietatem, hic constituisse : illi humana quedam, hic divina & immortalitatis opera gessisse videatur. Hic ego si vela orationis meae pandere & aperto mari vellem invehiri, ingens mihi campus dicendi proponitur. Sed revocat me & quasi manum mihi injicit Princeps noster : qui parentum laudes ita desiderat, ut recenseri tamen proprias malit & suas : quae tantae sunt, ut per eas singulas oculos mihi circumferenti, difficile videatur, non dicendi initium, sed exitum reperire. Nam ut de eius privata vita primum dicam, quid hoc

hoc Principe sanctius, castius, integrius unquam in terris  
fuit? cuius adolescentia ita traducta est eleganter; ut  
quemadmodum agricolæ ex floribus arborum fructus so-  
lent præsigere; sic iam tum ex florescente indole facile fue-  
rit divinare excellentem quandam frugem & maturitatem  
omnium virtutum. Scimus quām multas & lubricas vias  
primæ illi ætati natura ipsa proposuit: quām multa blandi-  
menta aula & fortuna illustrior subministrant; quibus capi  
& irretiri ætas etiam corroborata solet. Attamen nostrum  
hunc Heroem, neq; natura flectere ad voluptatem potuit,  
neq; aula detorquere ad convivia & luxum. Fuit ille hoc  
robore animi, ut cum iam tum sacra potius Biblia quām  
convivia: labor quām lascivia; litteræ, quām libido dele-  
ctarint. Nihil à me dari gratiæ, nihil pro tempore dici, te-  
stes sunt gravissimorum hominum constantes sermones;  
testes quædam orationes eius in illa ætate VVitebergæ ha-  
bitæ; quæ sunt æditæ in vulgus: in quibus, nisi propter be-  
nevolentiam fortè me fallit, elucet non solum morum san-  
ctitas, sed etiam eruditio doctrinæ. Consecutum est statim  
primam adolescentiam tempus illud acerbum huic fami-  
liæ: luctuosum Germaniæ, grave omnibus bonis. Bella-  
tum est inter Imperatorem C A R O L V M & potentissimos  
principes. Quo quidem tempore cum frater maior natu-  
cum Patre ad Danubium rem gereret, ipse cum imperio  
his regionibus mansit præfectus. Pater eius I O A N N E S  
F R I D E R I C V S dignitate spoliatus, libertate privatus, pos-  
sessionibus exutus est. Hic ego quid Principis nostri in tanta  
calamitate, quæ vel maximos animos posset frangere, con-  
stantiam, prudentiā, pietatem commemoré? Ad castra C A-  
R O L I V . per medios hostes, comitatus matre S I B Y L L A , de-  
precatum pro patre venit: pietatis hoc fuit: Vrbem VVi-  
tebergam aliamq; ditionem, ne cum D e o & fortuna per-

E

tinacius

tinacius pugnaret, victori permisit, prudentiae fuit. A religione nec abduci Imperatoris promissis, nec deterreri minis potuit: constantiae hoc fuit. Consecuta sunt paulo post ea tempora, quae nemo bonus recordari sine gemitu possit. Pater eius ad exterarum gentium ludibrium captivus abstractus, ipse Princeps, modico comitatu, leniendi doloris causa, ad exterias gentes profectus: Pomeraniam vicinasque regiones lustravit: & postremo in illa Galliae luce sub rege HENRICO sic est versatus: ut in ea provincia fortitudinis suae & virtutis vestigia reliquerit, non pressa leviter ad exigui laudem temporis, sed fixa ad memoriam illarum gentium sempiternam. Iam vero hoc toto tempore calamitatis, modestiam eius, tolerantiam, humanitatem, commemorare vereor; ne iniuriam sic facere videar reliquis eius illustrioribus virtutibus: quae me ad se rapiunt: & quodammodo absorbent cursum orationis meae. Mortuo parente, quod lex Christiana iubet & natura flagitat, illustrissimi Comitis Palatini filiam, DOROTHEAM SUSANNAM duxit uxorem; si genus species, matronam nobilissimam: si mores, lexitissimam: si pietatem, tali Principe vere dignam. Nemo miretur in principis laudibus uxorem ponere. Non male quispiam veterum dixit: M. Antoninum Philosophum inter optimos imperatores numerari meritò potuisse, nisi Faustinam habuisset uxorem. Tanti nimirum in viro principe refert, non solum ipsum vacare culpa; sed etiam coniugem habere, è cuius vitijs nihil redundet ad ipsum. Habuit igitur Princeps eam coniugem, de qua dubium sit, an ipse plus splendoris ex eius dignitate acceperit, an ipsa ex illius. Nam quid de castitate, & inviolabili eius in matrimonio fide dicam? Quain virtutem ita raro in aulis nostra tempora viderunt; ut ea non solum è sermonibus hominum, sed penè è memoria sublata sit. Iactant Græci Alexandrum Magnum,

tergiliq[ue]

s. B.

gnum, qui Darij filias, ne forma earum caperetur, abstinuit inspicere. Laudibus ferunt Romani suum Scipionem, qui divina forma mulierem apud Numantiam captain, intactam reddidit Sponso. Quorum si in una aut altera muliere tantopere celebratur refrænata libido; quæ tamen postea acrius erupit in alias: quo te, Illustrissime Princeps, laudum genere ornemus, cuius in omni vita eadem puritas, idem tenor fuit, ut nesciamus an adolescens castior audieris, an maritus? Memini ab antiquis prudenter dictum videri; Non omnem arborem aut frugem in quovis agro, neq; omnem virtutem in uno homine reperiri. Quod in Principe nostro adeò contra se habet, ut non recusem, quin quantum de una eius virtute verè detrahatur, tantum decedat omnibus. Vndique suppeditat mihi, quod de fide eius, temperantia, clementia dicam: & quò longius in altum provehor, eò mihi patentior cursus ostenditur: nisi me & tempus, & res ipsa admonereret: ut mutata velificatio ne, de publica eius gubernatione, quæ propria principum virtus est, pauca dicerem. De qua quia mihi brevius dicendum est, quām tantares dici possit: peto à vobis, ne rerum pulcherrimarum magnitudinem ex mea oratione potius, quām ex earum pondere æstimetis. In gubernatione nisi fallor, Christiano principi tria proposita esse debent; ad quæ ille dirigere sua consilia sicut gubernator in navigando ad portum debet: Pietas, quæ ad Deum: communis utilitas, & publica tranquillitas, quæ duo ad subditos. Hæc singula præstare non postremi principis est: omnia simul complecti divinæ cuiusdam & excellentis virtutis. Magna laus & præcipua in viro principe pietas est: quam vera religione & divino cultu metimur. Huius laudis hæreditariam & quasi per manus traditam possessionem Princeps noster sic amplexus est, ut post hominum memoriam nemo

religionem vel acrius defenderit, vel studiosius propagarit.  
Est hæc omnino propria & insita huic familiæ laus: quam  
noster, non didicerat, acceperat: sed unâ cum nutricis la-  
ete hauserat, imbiberat: ad quam hi principes non edo-  
cti, sed nati: non instituti, sed imbuti sunt. Atque ut illa  
Scipionum gens apud Romanos ad Carthaginem everten-  
dam fato nata videbatur: Sic hæc Saxonica generosa  
stirps, ad Dei hostes extirpandos, errores evertendos,  
pestem Pontificiam exscindendam, donata divinitus &  
concessa Ecclesiæ est. His gradibus maiores eius ad cœlum  
ascenderunt: hac laude ipse sic excelluit, ut ea quasi arx  
fuerit cæterarum omnium virtutum. O dignum omnium  
seculorum memoria Principem, qui initium, qui finem  
principatus sui in religione constituit. An verò Numa Pompilius Rom: Secundus Rex ob constitutam vanam religio-  
nem hoc solo nomine consecratus est ad hominum memo-  
riam sempiternam: huius principis gloriam ulla unquam  
delebit oblivio? Qui non falsum Deorum cultum, sed unus  
nius Dei invocationem: non mendacem superstitionem,  
sed veram Evangelij doctrinam induxit: induxit stabili-  
vit; stabilitati defendit. Obruor exemplis eximiæ pietati-  
tis, quocunq; oculos animumq; converto. Ecclesiam in-  
tueor, video in ea veterem disciplinam restitutam: repe-  
rio conventus Aldeburgi & Vinariæ ipso præside, Constan-  
tini Magni exemplo, celebratos. Ad scholam convertor,  
video præstantissimos viros, & lumina Germaniæ ex distan-  
tibus locis conductos: occurruunt tot privata stipendia, oc-  
currunt privilegia illo ipso promulgante aucta & amplifica-  
ta. Semper enim ille sic de scholis sentiebat; ut in ijs nitit  
salutem Ecclesiæ: ut eas qui tollerent, Solem è mundo tol-  
lere iudicaret. Iam verò publica omnium utilitas tantæ so-  
licitudini illi fuit, ut nemo parens maiorem curam unius

filij



filij , quām ille omnium nostrūm egerit . Deminutis dītio-  
nis finibus , & rebus coarctatis , nulla nova tributa subditis  
imposita : nulla vectigalia recens excogitata : ad quæ il-  
lum non solum ærarij angustiæ incitabant ; sed aliorum eti-  
am Principum exempla invitabant . An verò cives Thurin-  
giæ vos universos appello , quod patria vestra floret , quod  
viget , quod in publica Europæ flamma in pace atque otio  
conquiescit , cuiquam post D E V M , quām Principis vestri  
prudentiæ referre potestis acceptum ? Laudatis propulsat-  
am ab omnibus vim & iniuriam ? Princeps propulsavit ;  
Approbatis iudiciorum legitimam formam constitutam ?  
Princeps constituit . Gaudetis , quod novis multis utimini  
& salutaribus legibus ? Princeps eas tulit ; per quem vnum  
magnis suis laboribus effectum est , ut omnia quæ superio-  
rum temporum licentiâ dilapsa fluxerant , severioribus in-  
stitutis vincirentur : & ius , æquitas , leges , in ditione vestra  
vigerent . Nec verò ipse tantum per se innocens fuit , sed effe-  
cit , ut essent etiam sui . Rapinas aulæ repressas , excusam ma-  
gistratum avaritiam , libidines refrænatas , & ut semel di-  
cam , immutatam in melius Thuringiæ faciem , exteri au-  
dierunt , nos vidimus . O sapientissime Plato , tuæ vocis  
venit mihi in mentem : Tu dicere solebas : Beatas fore res  
publicas , si eas aut Philosophi regere , aut qui regerent  
philosophari cœpissent . Oraculum tuum sapiens , illustrif-  
fimi Principis gubernatio comprobavit : siquidem hic est  
ille Philosophus , quem tu mentis oculis quæsisti : quem  
nunquam ætas illa viderat : qui rerum divinarum & huma-  
narum scientiâ instructus , sic accessit ad Rempublicam : ut  
imperare se fratribus non alienis , liberis non servis , & illi  
omnium principi Deo constare debere rationem admini-  
strationis suæ putaret . Nec verò ille in procuranda publica  
utilitate diligentior , quām in pace communi tuenda : de-

qua quid verbā mihi facienda sunt; cūm id non homines  
tantū testentur, sed agri penē ipsi & campi loquantur? Quis  
his ipsis sex annis, quibus præfuit, militem in provincia,  
tumultum in civitate vidi? vidi dico? imo quis visum  
metuit? quod eò admirabilius est, quò maiorem rerum  
omnium perturbationem fuisse meministis, cùm Princeps  
Rempub. suscepit. Neque enim placido mari, secundis  
ventis, navis Reip. vestræ ferebatur; sed medijs fluctibus  
sic iactabatur: ut iam fatigari & cessura tempestatibus vi-  
deretur: quæ omnia primo anno huius prudentia sic seda-  
ta sunt: ut D E V M quendam delapsum de cœlo ad pacem  
constituendam possimus dicere. Quàm multa vir sapien-  
tissimus dissimulavit? quàm multa tulit conservandæ pu-  
blicæ pacis causa? Honores maiores à Cæsare offerebantur:  
dimisit. augmentum ditionis ex fraternis bonis propone-  
batur: contempsit; etiamsi iniuriæ etiam inferebantur, tu-  
lit. Nimirum ut Olympi montis cacumen (si historijs cre-  
dimus) altius est, quàm ut id ventorum flabra contingant,  
ideoq; ab omni cœlesti iniuria, tranquillum manet & quie-  
tum: Sic animus huius principis vera pietate imbutus, ex-  
celsior fuit, quàm ut ira, ambitione, cæterisq; humanæ  
mentis affectibus tanquam flatibus posset permoveri. Ha-  
bebat ille videlicet in oculis non tantum leges divinas,  
quas meditabatur assidue; sed etiam domestica exempla  
maiorum. Audierat F R I D E R I C V M II. Landgravium  
Thuringiæ, Marchionem Misniæ, designatum Rom. Re-  
gem, fortiter cum honorem contempsisse, maluisseque se  
dignum imperio videri, quàm imperium adipisci. Memi-  
nerat alium F R I D E R I C V M , cui à sagacitate mentis Sapiens  
cognomen fuit, eandem dignitatem ultro oblatam con-  
stanti animo in C A R O L V M V. reieciisse. Hæc ille exempla,  
& hanc constantiam æquabili & minimè ambitioso vitæ  
suæ

suæ cursu non æquavit solum, sed penè superavit. Et ubi  
nunc sunt inter priscos Romanos M. Lepidus? qui sua ope-  
ra inter M. Antonium & Augustum pace constituta, Con-  
cordiæ nomen superbè assumpsit? Aut L. Antonius, cui ab  
amore fraterno Pietas perpetuum cognomen fuit? qui si  
reviviscant, illi ipsi, & superatos se hoc ipso, quo glorian-  
tur, agnoscant: & cognomina sua æquo animo principi  
nostro concedant. Nec verò hoc concordiæ studium, ab-  
iectionem animi, aut diffidentiam interpretari inimici pos-  
sunt: cuius animum & robur in bellis, cùm necessitas tulit,  
non solum Germania vidit, sed etiam exteri obstupuerunt.  
Illi Heinricus rex periculosisimo bello adolescentis ad-  
huc laborem in negotijs, fortitudinem in periculis, pru-  
dentiam in consilijs admiratus est. Illum Gallia in civilibus  
suis ruinis non solum fortem bellatorem, sed etiam saluta-  
rem pacificatorem experta est. Atque his rebus nimirum  
effectum est, ut cum non solum amarent sui, sed etiam ex-  
teri admirarentur: pareretq; & excellens sua virtus admi-  
rationem, admiratio benevolentiam, benevolentia secu-  
ritatem, securitas diuturnitatem imperandi, si per cœleste  
numen licuisset. Sed me in ipso cursu orationis meæ acerba  
memoria calamitatis nostræ subitò repressit. Vitam Illu-  
strissimi Principis exposui: mores immortalitate dignos,  
virtutes divinas commemoravi: nunc de morte dicendum  
est. O me miserum: cur non licet nobis idem, quod Poe-  
tis, silentio præterire propriam calamitatem? Sed audite  
obsecrò, audite rem illam quidem, & mihi dicenti acerbam,  
& vobis auditu luctuosam: sed tamen utrisq; exemplo u-  
tilem & salutarem. Habuit vita eius multa præclara: erit &  
in morte quod imitemini, erit quod admiremini. Ante tres  
plus minus menses, ut scitis, incidit in morbum Illustrissi-  
mus Princeps: cuius caussas neq; dubias arbitror, neque  
occultas:

occultas : in eō quanta constantia mentis eius, quanta fortitudo fuerit, audistis nuper dicentem ampliss. virum Doctorem Heshusum, cuius oratio in animis omnium vestrum insedit. Quām sollicitē penē ille in ipsa morte futura providit, quām prudenter constituit? quae præcepta suis reliquit ad omnem virtutem : O magna vis pietatis : O incredibilis species virtutis : quos tu amoris ignes in ijs inflamas, quorum corda semel occupasti: lacebat in lectulo Princeps optimus : lamentabantur liberi : mōerebat vxor. At inter ille omnium gemitus erecto capite, fracta ac moribunda voce, non de se, sed de suorum salute sollicitus, præcepta dabat constantiæ & virtutis. O felices eos, qui sanctas illius & extremas voces, tanquam ex oraculo audierunt : Et ô te multò feliciorem, Illustrissime Princeps, quem non illius hostis debilitatæ minæ, non coniugis, non liberorum miseratio, punctum temporis à Christo potuit avertere : Non (inquit) non : valeat coniux mea; valeant liberi : sint florentes, sint beati : sed fortunam ab alijs, à me tantūm præcepta discant veræ pietatis. In his ille vocibus, & in hac cogitatione cœpit deficere : quamquam quid dico deficere? cœpit vivere, volui dicere : si quidem illa vera vita est, cùm liber animus & corporis vinculis, tanquam carcere, solutus, avolat ad illam beatorum sedem sempiternam. Nec verò sine divino quodam numine factum esse putandum est, ut V I. Non Martij, pridie quām ante XIX. annos parens eius, migraret ē vita : voluit videlicet divina providentia, ut quem ille vita expresserat, eum etiam mortis tempore referret. O astrum cœlestis, quem Cometam vocamus: quas tu lachrymas nobis, quem tu luctum Ecclesiæ hoc funesto interitu denunciasti? Nec verò quisquam aliter existimare potest, nisi qui omnia casu ferri ponat, neq; ullam esse vim cœlestem significationemq; divinam

divinam. Est profectò , est illa vis ; neq; in illo cœlesti corpore tot mentes fax illa tristissimi incendij comparuit , sine comminatione impendentium malorum. Quanquam quid cœlum dico ? templa , aræq; ipsæ in terris commovisse se videntur , cùm illud propugnaculum religionis cadere viderunt. Non sum unus omnium maximè credulus , Auditores ; aut in his rebus supersticiosus : sed audistis ipsi præteritis mensibus tumultus nocturnos in agris : sonitus in templis excitatos : vias tristissimas imagines : Deumque penè voce humana prædixisse futura. Nisi forte & hoc casu factum esse dicimus , ut paucis ante mortem eius diebus , affixum insigne Ducum Saxoniæ in illum ipsum locum , in quo sepultus Princeps fuit , sponte sit delapsum. Hæc Dei immortalis vox , hæc oratio iudicanda est : cùm agri , cùm templa contremiscunt ; cùm ipsum cœlum inusitato astro vim & Iliadem quandam denunciat malorum. Quæ utinam ut initium in Principe nostro fecerunt : sic in eodem desinant. Sed tu quidem , Illustrissime Princeps , quoquo modo nobiscum agetur , felix es & beatus ; & quanquam in medio spacio integræ ætatis ereptus ; tamen in tot præsentibus malis , tot futuris , incolumi dignitate tua , florente fama , coniuge & liberis superstibis , non hæc reliquisse ; sed effugisse videris violentiam fortunæ : neq; erepta tibi à Deo immortali vita , sed oportunè mors data videtur. Nostrum potius hoc vulnus , noster hic dolor. Te ereptum dolet Thuringia ; dolebit universa Germania ; quæ in hac paucitate Principum bonorum , in tantis fluctibus , etiam te moderatore se esse privatam , quid aliud quām divini numinis iram arbitretur? Heu Germania ; tu illa florens quondam & beata Europæ domina , Romani Imperij æmula : ad quem statum es redacta ? Quomodo flos nobilitatis tuæ exaruit ? Principes tuos alios pueros vides , & per ætatem re-

F *BRILL 1951.7500* rum

rum imperitos : alios securos , & publicæ causæ indormientes : plerosq; religionem negligentes : quosdam ( sine gemitu hoc dici non potest ) etiam oppugnantes . Et tu dos mus antiqua Saxoniæ , quæ tot Heroas , tot Principes felici partu edidisti , quò occidit vetus splendor , quò pristina tua dignitas ? cuius miserabilem casum recordari non possumus sine lachrymis . E tribus fratribus alter post calamitosissimum bellum , longinquis in oris detinetur , alij duo vi xerunt . Vos etiam , amplissimi viri , quos squalidos video , & tanquam amissio parente orbatos , & tu Academia Salana , quam salutarem non dominum sed Patronum , non Principem , sed patrem amisisti . Quòd si universa Academia loqui posset , & vocem emittere , hoc diceret : Tu Illusterrime Princeps , cùm videres , quantum momenti ad veram religionem in scholis esset , me procreasti , aluisti , conservasti : ut in seminibus causa est frugum : sic omnium virtutum , omnis doctrinæ , quæ ex ut meo sinu ad Remp+ redundavit , auctor & causa tu fuisti . Quod tam diu florens , quod tranquilla fui , tibi debeo . Tu me labantem confirmasti : oppressam salutari dextra erexisti . Te Praga supplicem Imperatori pro incolmitate mea vidit . Tuas pro me preces Vienna audivit : te iam orbata parente tanquam infirma ætate proles relicta , quò convertar ? quos implorem ? quos obtester ? Hæc Academia : cuius tristissimis vocibus sic moveor ; ut dolor finem mihi faciat dicendi . Te tantum omnipotens , æterne , sancte D e v s , qui nutu tuo cœlum temperas , & sola terrarum ultimarum , veneror atq; invoco ; ut quoniam tuæ cœlesti providentia placuit , Illustris Principem patrem nostrum , è terris subtractum cœlis addere : Tu fluctuantem Ecclesiam tuam , tu hanc scholam confirmes ; tua hæc promissio est ; tua cœlestis vox : navem Ecclesiæ tuæ agitari fluctib. posse , obrui non posse . En tempestas ;

pestas : en fluctus. Hostes externi in Germaniæ finibus  
constituti : alteri ex ultima barbaria Poloniam & vicinas  
regiones affectant : alteri coniurati Evangelij hostes Hispani  
ni Germaniæ limitem conantur perrumpere : & retorquent  
sæpè oculos ad hanc patriam : quam semel è faucibus suis  
eruptam esse indignantur. Vtinam] etiam in ipsa Germania  
nemo sit hostis ; sed intus inclusum est malum ; intus est e-  
quus Troianus ; cuius contagio latius patet , quām puta-  
mus. Vndique septi , undique inclusi tenemur , neq; hu-  
manis consilijs , salus ipsa conservare nos possit , si maximè  
velit. Tuam opem Deus Opt. Max. tuam divinam dextram  
exspectamus : Tu omnes illos hostes nefaria fœderis so-  
cietae coniuctos ab aris templisq; tuis , à vita for-  
tunisq; omnium nostrūm arceb̄is: eosq; qui  
impia consilia adversus nos inierunt , aut  
ad sanitatem reduces , si id potest ;  
aut si non potest , in illorum ca-  
pita cogitatum scelus  
convertes.

D I X I.



ILLVSTRISSIMÆ  
PRINCIPIS D. DORO-  
THEAE SVSANNÆ COM. PA-  
LATINÆ AD RHEVM,

Querela

DE MORTE ILLVSTRIS-  
SIMI PRINCIPIS D. IOAN-  
GVILIELMI Ducis Saxoniae &c.  
Coniugis.



Rgōne concordi semper mors invida lecto  
Ausa etiam est thalami ius violare mei?  
Vix bis vicenos etas tua viderat annos,  
Lustraḡ coniugij vix duo clausa mei:  
Eriperi tamen, & viduatam morte relinquis;  
Deseris & nostri pignora caratori.  
Quid tibi maiorum pietas, quid propria virtus  
Profuit? aut puras culpā habuisse manus?  
An minus immites habuisti in morte sorores?  
Enes quod tabulis quinque ligatur onus.  
Scilicet heroas audet mors tangere sacros:  
Et passim effreni cæca vagatur equo+  
Crudeles Parcae; serpens sibi prorogat annos:  
In mortem vires non habet ullus amor.  
Me creat ad Rhenum generoso stemmate gentis  
Illa Palatino nobilis aula Duce.  
Nec fuit eximia stirpis DOROTHEA damnum:  
Laudabit mores libera fama meos.

Mon

Mox ubi iam visa est etas matura marito,  
Et videor thalami posse subire iugum:  
Iungor prima tuo, Princeps GVLIELME, cubili:  
Hei mihi quam parva sum tibi iuncta morae  
Hac ne marita fides & hæc certi fædera lecti?  
Hæc sunt coniugij gaudia firma mei?  
Te vidit gelidum miles Pomeranus ad axem:  
Te fugit pavido barbarus hostis equo.  
Gallia te immixtum vidit civilibus armis:  
Et cogor toties querere nupta virum.  
At nunc invisa magno mihi crimine Parca,  
Quis Deus hoc tantum iuris habere dedit?  
Me miseram: cur me voluit superesse marito  
Sors nimis in lactus insidiosa meos?  
Felix Admeti consors, cui coniuge rapto  
Fas fuit in medios insuisse rogos.  
Felix Eois lex observata puellis;  
Quæis scelus est rapto vivere velle viro.  
Legibus hæc utinam licuissent funera nostris:  
Essem Germana pars ego in historia.  
Sed bene habet: quocunq; modo, mea vita, praisti  
Te sequar, & fidos mors feret una duos.  
Vivere non licuit una, tumulabimur una,  
Quod licet: & iunctis ossibus ossa premam.



F 3

RESPON-

RESPONSIO  
ILLVSTRISS. PRINCIPIS D. IOAN.  
GVLIELMI AD CONIVGIS  
querelam.

**D**Arce meos coniux lacrymis renovare dolores :  
Non tangunt Stygios vota precesq; Deos.  
Cum semel aethereas anima concendimus auras,  
Non exorata stat via clausa sera.  
Viximus : hic omnes unus manet exitus : ille  
Felix , cui pietas fecit ad astra viam.  
Immatura mihi Mors non damnosa fuisti :  
Me tenet Elysiis aura beata locus.  
Nec nimium SUSANNA meis extollere factis :  
Virtuti nullam mors dat avara moram.  
Quid mihi nobilitas & aquataq; gloria cælo  
Profuit ? & famæ buccina clara mee ?  
Si nescis, vivit tantum post funera virtus :  
Et sola in fati non venit arbitrium.  
Inunc tolle animos , & longæ tempora vitæ  
Finge, & wenturis gaudia temporibus.  
Quam citò frondentes quercus spoliatur honores :  
Quam citò purpureas perculit aura rosas :  
Tam citò non stabilis fugerunt gaudia vitæ :  
Discis ab exemplo cautior esse meo.  
Testor Maiores , cœlesti sede receptos ;  
Quos constans niveis fama perennat equis :  
Menq; degenerem factis vixisse parentum :  
Nec minima priscum labe notasse genus.  
Quilibet austero de me sub iudice querat :  
Integra & austero indice vita mea est.

Me

Me pietas primū, & vani contemptio mundi  
Iussit in humano querere corde Deum:  
Inflammare pios, & confirmare labantes:  
Errorum & varias vellere stirpe notas.  
Hæc mihi vita fuit: nec sceptri lator honore:  
Commissum satis est sic docuisse gregem.  
Defunctum luget lacrymis Germania veris:  
Ingemuit nostræ Cæsar & ipse neci,  
Hæc erit emeritæ merces non infima vitæ;  
Quam culpare in me nil nisi fata scient.  
Nec te dulce caput, coniux DOROTHEA, laeti:  
Testis eris puros me coluisse toros.  
Quod rapuit mihi Parca, tuos hoc addat ad annos:  
Et faciet, tangunt si pia vota Deos.  
Tantum communes serva, mea pignora, natos:  
Hæc cineri superest unica cura meo.  
Fungere iam mater vicibus patris: illa duorum  
Tota est nunc humeris cura ferenda tuis  
Oscula quim materna dabis, superadjice patris:  
Et crede hoc manes posse iuuare meos.  
Quod superest, donec mihi te tua fata remittent,  
Quod nolim tristes approperasse Deas:  
Inviolata tori conserves fædera nostri:  
In tumuloq; uni nupta legare viro.

Justus Lipsius.

M E M O



MEMORIAE ILLVSTRIS  
SIMI PRINCIPIS D. IOAN-  
NIS GUILIELMI SAXO-  
NIÆ DUCIS &c.



Eutoniæ decus, & dubijs fiducia rebus,  
Hic tumulum Princeps LANGVILI-  
BLMVS habet.

Qui genus illustri ducens à stirpe parentum,  
Auxit honoratum per sua facta genus.

Imperio navans operam, quam debuit, omnem:  
Atque Deo tribuens, quæ tribuenda Deo.

Assertor Iuris, rigidi servator honesti:  
Nequitiæ vindex impiger, atque doli.

Pacis honos, duris patriæ tutamen in armis:  
Spes Tyringorum, Saxoniamque nitor.

O vanas hominum curas: en occidit ævi  
In medio, dignus perpetue luce frui,

Et tibi dat virtus, Dux LANGWILME, sepulcrum:  
Et titulum Pietas, quæ tibi culta fuit.

Hic, Princeps laudate, jaces: tua continet ossa,  
Quæ meriti retinet munera terra tui.

Non tu corpus eras sine pectore: vis tibi mentis  
Provida consilijs, nec pigra rebus erat.

Simplicis & studium probitatis: & ardor honesti:  
Iustitiæque tenax cura, timorque Dei:

Et gentis decus haud tantis virtutibus impar:  
Nec maior factis gloria lausq; tuis.

Ergo te meritò Germania luget ademtum,  
Cuius præsidium grande superstes eras.

Greg. Bersmannus.

EIDEM.

edidit

# E I D E M.



Vxpius, atq; Pater Patriæ, Illustrissimus he-  
ros

IANGVILIELMVS erat, dum pia fata  
dabant.

Nunc mundo ingrato sublatus, gaudia sentit

Aeterna: ut petijt nocte dieque pius.

Ingratus mundus, non tanto Principe dignus,

Amisit summi munera quanta Dei.

Sed quot perpendunt? quot munera tanta requirunt?

Pauci. nam pietas pectora pauca tenet,

Fæcibus immundis lætantur secula nostra:

Ergo suis labris fercula digna ferunt,

Io. VVolfius.

## IDYLLION DE EIVSDEM PRINCIPIS S A N C T I S S, O B I T V.



Vnc Hyacinthe tuas, & s̄epius, occine  
voces,

Ah ah: & folijs nomina mœsta nota,  
Florum pulcer honos subitò R v t a occi-  
dit æstu:

Occidit heu folijs marcida facta suis.

R v t a fugans virus, diris inimica venenis:

Cumq; oculis ægrum nata iuvare caput.

Sub quâ sancta Fides, Astræaq;, Paxq;, Pudorq;,  
Et virtus umbrâ floruit usq; diu.

G

Flebilis

Flebilis heu mortis morsu contabuit atræ :  
Floridulis nuper suspicienda comis.  
Scilicet hæc primi morsus vis posthuma mali :  
Hinc mors, hinc vitæ profluit omne malum.  
Mâla mali mâlo mala contulit omnia mundo :  
Illi ex morsu mors fata nempe venit.  
Sed benè, vis R v t a e quòd non exaruit omnis :  
Libera nunc morsu mortis , honore decens :  
Transplantata Deo Paradisi floret in horto :  
Flore vigens Iessæ non pereunte sacri :  
Quem complexa fidè, folijs revirescit amoénis.  
Lætior, & pulcris semper operta comis.  
Iustitiæ Sol cùm supremos proferet ortus :  
Serta det ut capiti splendida C H R I S T E tuo.  
Intereà cedri iaceant folia abdita cistis  
Molliter, & radix sicca quiescat humi :  
Semper & à radice seges nova pullulet inde :  
Saxonicae decoret semper ut arma domus.

N. Reusnerus D.



M o n v-

MONUMENTVM  
ILLVSTRISS. PRINCIPI D.  
IOAN. FRIDERICO SAXO-  
NIAE ELECTORI AB ECCLESIA  
Christianadictum.

JOANNES FRIDERICVS  
DEI graia Electus Martyr JESV CHRI-  
STI, Dux afflictorum, Princeps confessorum fi-  
dei, Comes veritatis, Signifer S. Crucis, Antesig-  
nanus Patientiae & Constantiae, Heres vita aeterna,  
obdormiscens in Christo, migravit ex hac misera  
vita in cœlestem Patriam. OB. Vinariae  
M. Martio D. III. An. LIV.  
Ætatis LI.



G 2

MO-

MONUMENTVM  
ILLVSTRISS. PRINCIPI D.  
IOAN. GVILIELMO SAXO-  
NIAE DvCI VINARIAE  
positum.

JOANNI GVILIELMO DVCI  
Saxonie, Landgravio Thuringiae, Marchioni  
Misniae, Principi post homines natos optimo, pie-  
tatis virtutisq; theatro illustri, Patri Patriae mi-  
tissimo, militi fortissimo, pacifico, iusto, studio-  
rum Mecænati, sincera Religionis cultori, etiam  
apud exteros claro, hæresum hosti infracto, san-  
cto Ecclesiæ Nutrio, sanctè feliciterque incredi-  
bili cum desiderio sui defuncto, VI. Non. Martij,  
A. S. H. M. D. LXXIII. cum vixisset an-  
nos XLII. M. XI. D. XXVII. H. XXII.

H. P. M.

PIETATIS ERGO PII HAER E-  
DES POSVERVN+



1c 1882. 8

ULB Halle  
002 426 757

3



BR

11,5





**Farbkarte #13**



B.I.G.

PARENTALIASIVE  
CHARISTIA

ILLVSTRIS-  
SIMIS PRINCIPI-  
BVS AC HEROIBVS D. IO-  
AN. FRIDERICO I. SACRI ROM.  
Imperij Electori, eiusq; Filio inclyto D. IO AN.  
VVLHELMO, SAXONIÆ Ducibus, Landgra-  
vijs Turingiæ, Marchionibus Misniæ &c.  
publicè solenniterq; habita, lenæ  
ad V. Non. Martij, Anni  
M. D. XCII.

NICOLAO REVSNERO  
IVRE CONSULTO, ILLVSTRISS.  
SAXONIÆ Ducum Consiliario, Collegij Iu-  
ridici Seniore, & Antecessore.

Accessit  
IVSTI LIPSII ORATIO DE IO.  
ANN E VVLHELMO SA-  
xoniæ Duce &c.

J E N Æ  
Typis Tobiae Steinmanni Anno  
M. D. XCII.